A. D. 7.

DISSERTATIO HISTORICA, DE LITURGIA ROMANO-SVETICA,

Cujus

PARTEM PRIOREM,

Adprobante Ampliſſ. Senat. Philoſ.

in Academia Upſaliensi,

SUB MODERAMINE

VIRI CELEBERRIMI

DN. LAURENTII ARRHENII,

Hiſtor. Profeſſ. Reg. & Ordin.

h. t. Facult. Phil. DECANI Spectabilis,

Publico bonorum examini modeſte

ſubmittit

ANDREAS LINDER

SMOLANDUS,

In Audit. Guſt. Maj. d. IX. Decemb.

Anni MD CC XX VI.

horis ante meridiem ſolitis.

UPSALIÆ, Literis WERNERIANIS.

A. D. 7.

DISSERTATIO HISTORICA,

DE

LITURGIA

ROMANO-SVETICA,

Cujus

PARTEM PRIOREM,

Adprobante Ampliſſ. Senat. Philoſ.

in Academia Upſalienſi,

SUB MODERAMINE

VIRI CELEBERRIMI

DN. LAURENTII

ARRHENII,

Hiſtor. Profeſſ. Reg. & Ordin.

h. t. Facult. Phil. DECANI Spectabilis,

Publico bonorum examini modeſte

ſubmittit

ANDREAS LINDER

SMOLANDUS,

In Audit. Guſt. Maj. d. IX. Decemb.

Anni MDCCXXVI.

horis ante meridiem ſolitis.

UPSALIÆ, Literis WERNERIANIS.

S:Æ R:Æ M:TIS
MAGNÆ FIDEI VIRO,
REVERENDISSIMO
PATRI ac DOMINO,
DN. DAVIDI
LINDE,
S. S. Theol. DOCTORI Eccellentiſſimo, Diœceſ. Wexion. EPISCOPO Eminentiſſ. Conſ. Eccleſ. PRÆSIDI Graviſſ. & Gymn. Schol EPHORO Adcuratiſſimo,
MÆCENATI MAXIMO

CUm Liturgiæ *huic* Romano-Sveticæ, *ſeculi more, patrocinium quærerem*, *cur a* Tuo Reverendiſſime Pater, *complexum digrederer*, *cauſſas invenire non potui. Radii namq; favoris ſummi, quibus literarum cultores* Tibi *devinctos habes, me in iſthanc pertraxerunt audaciam. Permittas igitur*, Rever. Pater, *dextram* Tuam *hac qualicunq; diſſertatione onerari, humillimus oro*, *pro* Tua, Nobiliſſimæ q; familiæ *omnigena felicitate vota fundere numquam intermiſſurus.*

RVERENDISS. NOMINIS TUI
cliens humillimus
ANDREAS LINDER.

Adm. Rever. atq; Præclarissimo VIRO,

Mag. MAGNO STYLHÖS,

Ecclesiæ, quæ in Algudsboda Christo colligitur PASTORI & PRÆPOSITO laudatissimo, Evergetæ Optimo.

Adm. Rever. & Præclarissimo VIRO;

Mag. JACOB. FLACHSENIO,

PASTORI in Rydaholm & Giellaryd meritissimo, & adjacentis Districtus PRÆPOSITO adcuratissimo, Patrono benignissimo.

Adm. Plurimumq; Rev. ac Præclarissimis

DOMINIS MAGISTRIS,

S. S. Theol. & Philos. in Reg. Gymnas. Wexion. LECTORIBUS dexterrimis, Consistorii ADSESSORIBUS æquissimis, Promotoribus Certissimis.

Rever. atque Doctissimo Domino,

Dn. BRYNOLPH. GISLONIO,

V. D. MINISTRO in Algudsboda vigilantissimo, Fautori Honoratissimo.

Exile hoc specimen in venerabundæ meritis ac debitæ observantiæ pignus offert

Admod. Rever. Præclar. ac Doctiss. Nominum Vestrorum

cultor indefessus

ANDREAS LINDER

Min Högtärade kåre Fader
OLOF ANDERSON.

När jag mig befråga wille/
Af wältalighetens Mor
Svada, hur' med wittert snille
Prisas bör Fars godhet stor/
Fick jag swar: der til jag äger
Ingen konst; ty ord af mun
Icke fulla quintin wäger
Mot de många kärleks pund.
Tänck! så snart Du kunde bära
Kroppen sielf/ hur' ganska kårt/
Det war honom/ at Du lära
Motte/ det han sielf ej lärt?
Gif dock Mäße-Boken thenne/
Hwar med Swerje wille bry
Påtwe/ Allster arga Trenne/
Och wardt kallad Liturgie.
Derför' uptag Fader kåre/
Deße rader med gladt mod/
Fast de ej beströdde åre
Med rik sand ur Pactols flod.
Hiertans önskan min steds ware;
Gud Ehr unne ymnigt godt!
Gud Ehr lifstid länge spare!
Och sed'n gifw' Ehr himla lott!

Min Högtärade kåre Faders

Lydigste Son
ANDREAS LINDER'

In Dissertationem
Politissimi
Dn. ANDREÆ LINDER,
De
Liturgia Romano-Svetica.

ALtas Gregorius nuper conscenderat arces,
Quas meretrix Romæ dudum Babylonica struxit,
Cum sua mox stimulos præcordia rodere sensit,
Inque dies animum sævas exedere curas.
Ergo vocare sacras jussit de more phalangas:
Quas ubi conspexit densis coivisse catervis,
Ipse throno residens mœstus sic dicere cœpit:
Jam ne summa dies, & ineluctabile fatum

Im-

Imminet, ut noſtrum quivis conculcet honorem;
Neque ferat dignas tanto pro crimine pœnas;
Aut rediens noſtrum, ceu quondam, Numen adoret?
Fallor: non animis tantæ cœleſtibus iræ.
Vos, O Tarpejæ fidiſſima nomina ſedis,
Dicite, quæ veſtras bebetarunt otia mentes?
Nonne ſuperba patent Gothicæ faſtidia gentis,
Æternum vulnus, fideique injuria ſpretæ?
Hæc ubi dicta, Cohors Jeſuvitica colligit iras,
Ora lavat ſanie, peſtem ſpumatque vomitque.
Solve metum, ſtygiæ pubis tum maximus inquit,
Solve metum, Divine Pater; nos nomina mille,
Mille artes, & mille doli, ſtratagemata mille.

Crede

Crede mihi, Svecos castris excedere Christi,
Et Tua signa sequi cogemus: nulla laboris
Pars intacta nobis: formas vertemur in omnes.
His Pater arrisit, lætusque ad celsa recessit.
Tandem lecta virûm decernunt robora, quibus
Nequitiis mentes plenæ, fœcunda malorum
Pectora, tartareis turgentia corda venenis.
Scilicet Herbestus monachus, clarusq; mitellâ
Hosius, & Lasse, titulum cui clausira dederunt;
Tandem Possevinus, minitans rutilante galero:
In nostras diro jurant anathemate mortes,
Spiculaque expediunt acherontis sublita felle.

Adsunt,

Adſunt, atque inſtant, turbant & vulnera figunt:
Fingentes cœleſte genus, mentemque calere
Numine, fallaci condunt mendacia corde,
Damnatura leves animas. Heu perfida Roma!
Hoc modo lethales latices bibit inſcius alte
Svecus, & attracto penetrat præcordia virus.
Rex pius, & multus Erebi fert vincula cvis,
Damnaque poſt moras tandem Liturgica ſenſit.
Hæc cum pulchre nobis doceas, Doctiſſime LINDER,
Gratulor ingenium; Voveo ſint præmia Digna!

ſcripſit

ANDREAS FIORIN.

Συνεργὸν τῆ γῆσει.

CAPUT PRIMUM.

De Liturgia in Genere.

§. I.

HOminem in ſummi Numinis, ſui creatoris, laudem & gloriam præcipue creatum, cæteraque cuncta in hominis uſus producta eſſe, adeo jam dudum in aprico eſt, ut illum, qui ab hoc communi omnium conſenſu diſcedat, ab omni natura humana abhorrere merito dixeris. Nam ſi res omnes, quas ſpecioſum hoc

universitatis theatrum, variis obtutibus spectandas, oculis nostris proponit, servato rectæ rationis in cogitando dictamine, percurrere velit mens nostra, tanta immensæ Divinæ bonitatis argumenta deprehendimus, ut cuivis hominum non internam modo mentis venerationem, sed & illam, quæ actionibus exhibetur externis, DEo præstandam, injungant. Atqui cultum Numinis externum ritibus & ceremoniis, tamquam adminiculis ejusdem & ornamentis, omnino peragi debere non facile quispiam inficiabitur. Quum enim omnes gentes aliquem agnoscant DEum *a)*, haud obscure colligitur, eas quoque certam cultus divini normam, seu ritualia qualiacunq; habere. Quod vero homo sibi relictus modum, quo potissimum coli vult DEus, ignoret, hoc summam mentis humanæ in rebus divinis

a) Cic. de Leg. lib. I.

vinis cæcitatem & imperfectionem arguit. Huic itaque defectui DEus ab initio statim, patefaciendo voluntatem suàm, consuluit. Quin etiam populum Judaicum, non solum ut se coleret, jussit; sed & sui colendi modum, ritus scil. externos circa sacrificia, per Mosen, lege ceremoniali, demonstravit. Hocce rituale officium, cujus cura tribui tantum Levitico demandata fuit, λειτουργίας appellatione, LXX. interpret. ubique fere exprimere voluerunt. Quum itaq; in præsentia aliquid de Liturgia in genere pro simplicitate ingenii acturi simus, dissertationis nostræ clavem ab æquivocatione liberum reddere, nobis incumbit.

§. II.

Primo occurrit vox Liturgia, quam natales suas Helladi debere, & græce λειτουργίαν dici, nemo nescit; originem v. ex uno fonte, non omnes ducunt. Plurimi à λήϊ

τον, quod idem significat ac πρυ-
τανεῖον, δημόσιον, *publicum*, & ἔργον *officium*, vocem derivant, ut sit Liturgia *cujuscunque muneris publici functio, præstita, sive opera, sive pecunia.* Aliis placuit derivatio à λεῖον *planum* καὶ ἔργον, ut sit *plana & conveniens publici operis administratio.* Bazius *b*) origines quærit in voce, λίτη *supplicatio*, ut dicatur λιτουργία h. e. *sancta actio precandi.* Facile tamen hæc possunt conciliari. Et quamvis apud profanos hæc vox, vi primæ originis, in usu sit; obtinuit tamen ut λειτουργία dicatur *ministerium cultus divini*, sive Judaici *c*), sive Evangelici *d*), & peculiariter denique *quidquid ad altare circa sacram mensam peragitur.* Dicitur præterea aliis vocabulis Liturgia, tam in libris symbolicis, quam Theologorum scriptis, *cultus divinus externus*

b) *L.* 3. *c.* 22. *c*) *Luc.* 1:23. *Ebr.* 9:21. & 10:11. *d*) *Act.* 13:2. *Phil.* 2:17.

ternus, *canones*, *agenda*, *ſeu actiones ſacræ*, *traditiones rituales &c.* ut obſervavit & notavit Joh. Friderici *e*). Ad tuum vero, L. B. favorem, tamquam ultimum *χρησφύγετον*, tanto anxius decurrere, neceſſum habeo, quanto certius hanc opellam debito verborum nitore deſtitui deprehendo, ſummamq; votorum me conſequutum eſſe arbitrabor, ſi nihil acerbe de innoxiis meis conatibus fueris judicaturus.

§. III.

Mentionem fecimus Liturgiæ Leviticæ, eamque lege DEi ceremoniali comprehendi diximus. Illa vero in novo fœdere, verbo *conſumatum eſt*, deſtructa, Eccleſiæ Chriſtianæ conſultum videbatur, ad retinendam in Eccleſia *ἐυσχημοσύνην καὶ ἐυταξίαν*, novam religionis formam conſtituere. Videbant enim rebus omnibus, ubi *ἀταξία* im-

e) Liturgia vet. & nova c. 1.

imperat, exitium imminere. Ideoque Apoſtolos, diſcipulos, primorumq; ſeculorum Patres certam habuiſſe, circa adminiſtrationem præcipue ἐυχαριςίας, normam, quam λειτυργίαν vocarunt, à vero non diſcrepat. Quid vero de Liturgiis Sanctorum Apoſtolorum, Petri nimirum, Andreæ, Matthæi, Marci, Johannis, Jacobi, & Patrum Baſilii, Chryſoſtomi &c. ſtatuendum ſit, quas magno apparatu in theatrum adduxit Claudius Sainctes, & Pontificii adeo jactant, ex induſtria declaravit Joh. Dorſcheus *f*). Apoſtolos tamen, ut multa fidei dogmata, ita etjam ritus, Chriſtianis ἀγράφως tradidiſſe, haut diffitendum eſt. Obſervandum eſt, Liturgiam Eccleſiæ, cujus veſtigia hiſtoria Evangel., annales Apoſtol., epiſtolæque Pauli & Jacobi, & Patrum quorundam ſcripta tradunt, primis quatuor ſeculis

f) *Myſteria Miſſæ c. 7. §. 23. &c.*

lis admodum ſimplicem fuiſſe. Reſpiciebat namque unice tunc cultum DEi internum. Acceſſerunt præterea ſæviſſimæ Tyrannorum perſecutiones, quæ omnem magnifici ceremoniarum apparatus anſam præripiebant. In locis enim obſcuris, nocturno præcipue tempore, ſacras ſuas *συναξεις* habere neceſſum habebat Eccleſia.

§. IV.

Poſtquam autem ſub imperio Conſtantini M. ac reliquorum Chriſtianorum. Imperatorum auſpicio, templa exſtrui cœperunt, in quibus libere cultum DEo præſtare poſſent fideles, multum adaucta ſunt ritualia. Ac magnæ equidem tunc patribus fuit curæ, ut in univerſa Eccleſia, Chriſtum profitente, *conſentiens erga DEum ſervaretur religionis cultus g*); ſed voti ſui compotes facti non ſunt. Cauſſam addit

g) *Theodoret. hiſt. Eccl. l. 1. c. 10.*

Joh. Friderici *b*); *Quemadmodum*, inquit, *varia in Ecclesia manserunt symbola: consiliorum decreta successu temporum, in diversis conciliis, plus quam centies sunt variata: ita in cultu divino Ecclesia varias habuit ceremonias.* Quam primum enim supereminentiam in Ecclesiasticis fastuose affectare cœpit Romanus Episc., in diversas abiit Ecclesia partes; impatiens affectuosæ istius superioritatis. Facta jam separatione, non tamen desiit omnis boni ordinis osor, quin majores semper cordi papali infunderet spiritus, donec brevi adeo intumesceret, ut se vicarium Christi nuncupare non veritus sit. Quo facto, eo demum processit arrogantia fastus papalis, ut non tantum traditiones, proprio exenteratas cerebro, DEi verbo misceret; sed præferret: atq; multos, in superstitionem usq; auctos, Litur-

b) Collat rit. Liturgiæ Eccl. prisc. & hod. c. 1.

Liturgiæque inſertos ritus, ſub nomine communi decreti, Eccleſiæ occidentali obtruderet.

§. V.

Quamvis Eccleſ. occidentali vocabulum *ritus*, ut orientali vox λειτυργία, adriſit; nos tamen omnia ritualia ſacra Liturgiam vocamus. Complectitur enim hæc vox, latitudine ſignificationis ſuæ, actiones quoque malignantium, obſervante Dorſcheo *i*). Præcipuum Liturgiæ Romanæ momentum ſacrificio ſuo miſſatico attribuunt pontificii, cujus maximum quærunt robur ex Act. 13. 2. Cenſuras vero in illud fuſe, præter alios, dederunt Joh. Gerhardus *k*) & Joh. Dorſcheus *l*). Chryſoſtomus in hunc locum ſic commentatur; τί ἐςι λειτυργῶντων; τῦτ' ἔςι κηρυττόντων. Impium tamen hocce ſacri-

i) *Myſar. Miſſæ c.* 7. §. 10. *k*) *L. L. Theol. Tom. VI. de miniſt. Eccl. c.* 1. *l*) *Myſaria. Miſſæ c.* 7. §. 12. *ſeq.*

ficium longa annorum serie nõxiis ritibus & Ecclesiæ molestis & impiis, frivolisque ignota lingva celebratum, & consvetudine corroboratum, non solum Ecclesiam occidentalem; sed & nostrum quoq; septentrionem, rudium seculorum cursu, inundavit. Hisce vero superstitionibus electum DEi organon Lutherus, singulari ope divina obicem posuit. Quod vero Lutherus, cæterique Evangelicæ veritatis defensores, ritus quosdam Ecclesiæ Romanæ in sancto reformationis opere retinuerunt, ut in Art. August. Confess. XXI. continentur: id in gratiam simplicioris vulgo fecisse constat.

§. VI.

Eandém reformatores Sveciæ viam ingressos fuisse ex historia patria novimus. Cum enim omni seculorũ memoria dignissimus rex Gustvus I. regni Antichristi in oris nostris borealibus, ubi *decretis tantum Pontificis Rom.*

Rom. Eccleſia fereque politia tunc regebatur m), everſionem meditari cœpit, opera præcipue & conſilio Olai & Laur. Petri, fratrum Neriorum, ſuaſu Lutheri, ad ſalutare hoc negotium promovendum uſus eſt. Horum prior, Olaus miſſale quoddam in uſum presbyterii conſcripſit, excluſis omnibus pontificiorum ritibus non neceſſariis. Ne vero tumultus in Eccleſia, multis adhuc ſuperſtitionibus laborante, orirentur, ritus nonnullos, quos nec quemquam offenſuros, nec cultui decorem derogaturos eſſe vidit, retinuit. Sed correctionem poſtmodum fratris, Archiep. Laurentii, ſubiit, qui omnes fermenti papatus reliquias ſuſtulit, atque eum ſtatum poſuit Eccleſiæ, quem quivis cordatus vere ſibi gratulari poſſet. Quod non ſine ſuavi animi ſenſu obſervavit Joh. Salemontanus ad ſcriptum M. Olai Petri,

m) Baz. l. 1. c. 10.

tri, de verbo DEi & traditionibus humanis *n*) : Wi hafwe nu/ inquit, ſamma ordning med dopet/ predikan/ aflösningen och HErrans natt-ward i wåra förſamlingar / ſom warade i mång hundrade åhr efter Apoſtlarnas tid i then Chriſteliga Kyrkio/ förr än wilddiuret af afgrunden upſtiget war. Quot vero in iſto ſalutari negotio Rex ſemper animadverterit obſtacula, incredibile dictu eſt. In ipſis namque incunabulis hoc opus, tam Epiſcopi, Papæ mordicus addicti, quam alii magnæ auctoritatis viri ſeculares, impedire adnixi ſunt, quo acceſſere ſeditiones, tumultus, ſeductiones, caritasq; annonæ. Nec parum piæ reformationis moram paucitas orthodoxorum auxit. Nihilo tamen minus mirabili conſtantia & animi fortitudine ſe extricavit, & non modo ab incœpto non deterritus, ſed ad matu-ran-

n) *Præf.* D 5

randum concitatus est. Repurgatam denique religionem, cujus promovendæ desiderium semper aluit, sartam tectam servavit pius Rex in ipsum usq; mortis agonem, & pio testamento ei apud filios, omnesque futuros regni hæredes, æternum consecravit domicilium o).

§. VII.

Postquam rex Gustavus ad eas migrasset oras, quas, qui è vita bene discesserunt, incolunt, maximo filiorum natu Erico, juxta unionem hæreditariam, diadema impositum est. Sed diutius a reditu illusio Papistico-diabolica se refrenari passa non fuit, quin sub imperio Erici, bellis undique implicati, ex confluentia peregrinorum, velut e recluso aliquo barathri antro emergeret. Ita *discessu* Gustavi *polluta sunt religionum jura omnia*

o) *Teg. hist. Gust. 1. part. 2. p.* 390. 403. 406.

omnia, perditorum civium scelere p). Immo penitus exstincta fuissent, nisi bonitas DEi immobile relabescentis Ecclesiæ fulcrum, Archi-Episc. Upsal. Laurentium Petri adhuc in vivis superstitem servasset. Hic, quam primum ei innotuit seductorum, episcopos νεοφύτους & ipsum regem in suas partes pertrahentium, acerbitas, auxilio divino suffultus, pioque defendendæ veræ religionis zelo motus, omnes illos vertiginis spiritus argutis scriptis refutavit. Pie præterea multa & feliciter ad conservationem Ecclesiæ ordinavit, ut iterum ad quietem paulisper redire posset.

CAPUT

p) *Cic. Leg. l. 2.*

CAPUT SECUNDUM.

De ortu & progressu Liturgiæ Romano-Svaticæ.

§. I.

REgi Erico frater secundo-genitus Johannes, III. ejus nominis, Dux Finlandiæ, consensu Senatorum ac ordinum regni, successit. Hujus *statim ab initio prima fuit cura, ut religio in statu salutari confirmaretur, ac ne ulla sui parte fluctuaret, aut cujusvis disputatoris aut novatoris protervia obnoxia esset a).* Quod imperatori his maxime commendatur: *primum & præcipuum fundamentum bene constitutæ reip. & & vinculum societatis humanæ consistit in religione; alterum in justitiæ administratione b).* Primum itaque rex conscriptum ab Archi-Episc. Lauren-

a) *Abr. Angerm. hist. Lit. B. 6. Baz. l. 3. c. 6.* b) *Plato de rep. l. 4.*

Laurentio ordinantiæ Ecclesiasticæ exemplar prælo diligenter subjici mandavit. Hanc ordinantiam confirmavit postea clerus & ordines regni in concilio, quod vocatur Upsaliense II, *c*) cum maxima gratulatione 1572 d.. 22. August. Addita simul protestatione, se nulli hæresi unquam in patria locum, nec alias ceremonias, quam usu receptas, admissuros. Qua de re sibi vere gratulabantur, ut suo tempore Chrysost. *d*): *Nunc*, inquit, *verbum DEi inter nos habitat abunde cum omni sapientia, & sine periculo docetur atque discitur; quia pii principes suscipiunt patrocinium docentium & discentium Evangelii doctrinam.*

§. II.

Verum fuit hæc pax Ecclesiæ non multum diuturnior habitatione πρωτοπλάστων in paradiso. *Data* nam-

c) *Laur. Raimundi hist. Liturg. Msc.*
d) *in enarrat. Ep. ad Rom.*

namque *erat Johanni*, tum Duci Finlandiæ, *conjunx Catharina Jagellonica*, Sigismundi Augusti Reg. Polon. filia, *ea conditione, ut, si ipse fieret Rex Sveciæ, religionem Rom. non solum ipse amplecteretur, sed eandem in toto regno publicandam curaret e*). Hujus conditionis memor Catharina, jam facta regina Svec., tanto anxius religionem Catholicam, quam cum ipso lacte materno insuxerat, marito inculcasse perhibetur, quanto citius adhoc crebris epistolis Stanislai Hosii, nec non quotidiano concionatoris sui aulici Joh. Herbesti instinctu adhortabatur. Hoc igitur modo, & sub prætextu majoris pietatis persuasus Rex Joh., præsumtionibus Jesuitarum se accommodare cœpit. Quod dum cognovit Herbestus, ψευδόγραφον de consecratione Eucharistiæ sine fronte edidit. Sed aberant, qui justa velitatione, ceu transversis cuspidibus occurrere, & γλωσσαλ-

e) *Fab. Quad. Spec. piet. l. 1. c. 5.*

γλαν hanc oppugnare auderent. Mittebatur ergo ad ArchiEp., quem, ut id perlegiſſet, neqꝫ morbus, quo tum maxime laborabat, neqꝫ ſenectus detinere valebant, quin e lecto lethali pro veritate Evangelica dimicaret. Sed rediit ab hoc certamine Herbeſtus mutus magis, quam piſcis quousque Archi-Epiſc. vixit *f*). Illo vero mortuo machinationes Herbeſtianæ favillis obductæ in flammam rurſus erupêre, unde poſtmodum coaluit, quam deſcribendam propoſuimus factio Liturgica.

§. III.

Pontificiorum in antecedentibus Liturgiam leviter attigimus. Quum itaque pontificii attribuant hanc vocem ſuæ miſſæ ſacrificatoriæ, qua non ſolum ſcripturam, ut Act. 13:2. λειτουργούντων exponunt

f) *Abr. Angerm. in dedicat. hiſt. Liturg. & Laur. Raimundi hiſt. Lit. Mſc.*

hunt *sacrificantibus* seu *missificantibus g*); sed & Liturgiæ appellationem a vera significatione torqueant, definiatur nobis Liturgia Romano-Svetica, quod sit *nova Missæ ordinantia, juxta quam ritus, preces & cantus in Ecclesia Svec. peragerentur; Sacerdoti missam celebraturo præscripta.* Fuitque idem ac nostrum Missale, Swenska Mässan. Romano Svetica ideo vocari apparet, quod utraque lingua conscripta fuit. Non incongruum forte jam erit origines Liturgiæ summatim attingere, & L. B. infelicem fœtum ostendere in cunis. Mortuo ArchiEpiscopo, sollicitarunt ejus hæredes Pet. Fechtenium, Secretar. Regium, ut b. viri *αὐτόγραφα ἀπολογητικὰ* perlustraret, quodque necessarium typis mandret *b*), quod is tunc quidem diligenter promisit, sed eventus

g) *Abr. Angerm. hist. Liturg. F. 4.*
b) *Laur. Raim. hist. Liturg. Msc.*

longe aliud oſtendit. Prius enim ſe in conſvetudinem ejus callide immerſit Herbeſtus, cujus compedibus illaqueatus, omnia ſcripta, occultas Jeſuit. machinationes coërcentia, aſtu removit. Nec animadvertit quis conſuſurrationem iſtam, cum ob altiſſimum Herbeſti ſilentium, tum quia nulla fuit occaſio, de ullo male ſuſpicandi. Hiſce duobus accerſitus eſt tertius impoſtor, Laurent. Norvegus, alias Cloſter-Laſſe vocatus, hunc, ubi primum advenit, in monaſterium Ridderholm. introduxit Fechtenius propria fere autoritate, non ob Theologiæ peritiam, quin magis ob lingvæ affinitatem, ut efficacius venenum Liturg. viva voce diffunderet. Hi tres primi Liturgicæ molitionis ſocii, & præcipui regis deceptores, dum infauſtum ſuum fœtum parturiunt, in reviſionem ordinationis Eccleſ. quotidie convenerunt, ac reviſam regi obtu-

obtulerunt, qui eam, tamquam puriori antiquitati optime consentaneam, in comitiis Holmens. 1574 à Clero regni approbari voluit. Multis licet religionis mutationem redolere videretur; illam tamen ob pietatis prætextum subscripserunt d. 11. jun. singuli præsentes. Eligebantur quoque ArciEpisc. Laur. Petri Gothus & M. Erasmus Nicolai Episc. Arosiensis. Interim tamen novi electi confirmationem reg. prius non obtinuerunt, quam articulos 17 *i*), qui fundamentum sunt totius Liturg. propositi, Holm. mense Decemb. occulte subscripsissent. Præter hos, revocati sunt Holm. 1575 Jan. tres alii Episcopi & 3 pastores, adjectis prædicatoribus Holm. Ecclesiæ. His proposuit Fechtenius 17 illos artic. & novam ordinantiam, de quibus in mensem usque Martium disputabatur. Tandem vero præside Fechtenio,

 omnia

i) *Baz. lib.* 3. *c.* 18.

omnia fere & proponente, & concludente *k*), nominorum ſubſcriptione, paucis fruſtra renitentibus, adprobata fuit; provocando tamen ad liberum reliquorum conſenſum. Hoc idem fecerunt Theol. Profeſſ. Upſal. cum ad illam confirmandam vocati ſunt *l*). Redierunt itaque Holm. menſe Jun. Epiſc. cum præcipuis ex Clero: ubi cum plericq; perſuadentibus Epiſcopis & Fechtenio, conceptæ ordinantiæ ſubſcripſiſſent, celebrata eſt Upſaliæ d. 14. Jun. Epiſcoporum, in omni *παν-οπλίᾳ* papali, inauguratio & inunctio *m*). Ea peracta, Epiſcopos Holmiam ſecum reduxit Fechtenius, de toto opere religionis deliberaturos. Cum vero tempus protrahi videretur, ad proximum Cleri conventum dilata res eſt. Promiſit interea Fechtenius ſe ordinan-

k) *Abr. Angerm. hiſt. Liturg. k.* 2. *l*) *Baz l.* 3. *c.* 21. *m*) *Baz. l.* 3. *c.* 21. *Laur. Raimundi hiſt. Liturg. Mſc.*

dinandis privilegiis incubiturum: unde omnes, data prius nova subscriptione, dulci spe onusti discesserunt; nec umquam postea de illa materia conventus habitus, aut dijudicatio instituta est. Hac jam πρόπολι sic expugnata, in lucem prodiit monstrosa illa Romano-Svetica sphinx, Liturgia.

§. IV.

Post discessum Cleri coagularunt tres supra dicti feciales, in Ecclesia Svec. usurpandum Missale, cui, quo odiosum nomen Missæ evitarent, inscripsêre titulum: *Liturgia Svecanæ Ecclesiæ, Catholicæ & orthodoxæ conformis.* Medium paginæ in duas fuit divisum columnas, quarum sinistram occuparunt Psalmi Davidis, aliæq; preces lingva Romana, dextram lingva Svecana, juxta interpretationem Jesuitarum. Hic fuit ipse textus, majusculis literis editus. Fuerunt præ-

terea ab utroque latere marginalia, ſcholiis, minori prælo, referta. Hanc confirmarunt primi articulorum receptores, nova aulicorum perſuaſione circumventi, Holm. Feſt. nativit. Chriſti 1576; adjecta tamen clauſula, *ſalvo judicio aliorum.* Propter nudam hanc ſubſcriptionem, Liturgiam pro ſua agnoſcere coactus eſt Gothus, quam Jeſuitæ tripudiantes, puerorum inſtar in arundine longa, non requiſito plurium conſenſu, curante Cloſter-Laſſio, publicare feſtinarunt. Quum autem Liturgia ἀκέφαλος eſſet, acceſſit ex eadem officina præfatio, præmittenda, quæ ob ſimilem correctionem, quam in hoc requirebant inſidioſi fabricatores, facta eſt Gothi. Sic iterum in Svecia, excepto Ducatu Suder. Neric. & Vermlandiæ, Miſſa papiſtica, etjam ab ipſo ArchiEpiſcopo die nat. Chriſti 1577, & veteres cantus chorales, non ſine ſacrificulorum magna difficultate, in uſum redigebantur.

§. V.

§. V.

Publicata jam Liturgia, e re fuit excogitare modum eam promovendi; namq; Liturgici ab autoritate & conſenſu ArchiEp. pendere ſibi videbantur. Quod ſi quis rationes anti-Lit., etjam firmiſſimas, proferret, reſponderunt; *Quid Tu? Es tu doctior*, ArchiEpiſc., *tanto Theologo? qui eam approbavit, aliisque commendavit n*). Horum igitur repugnantiam ut ſua autoritate coërceret ArchiEpiſcopus, ſuaſerunt Holmiam menſe Sept. revocato, ut ejus voluntate ſimul acquieſcerent. Prioris ita clauſulæ, *ſalvo judicio aliorum*, ArchiEpiſc. oblitus, in ipſo diſſenſionum æſtu, ſtrenuus factus eſt defenſor impietatis. Quid? quod ipſum regem ita poſſidebant Liturgiſtæ, ut animum ejus quo vellent cunque inclinarent. Eorum inſtinctu, per legatos, Comitem

n) *Abr. Angerm. hiſt. Liturg. P. 3. Laur. Raim. hiſt. Liturg. Mſc.*

Pont. de la Gardie, & Secret. Fechtenium (qui tamen prope Borckholm Oelandiæ, nave ſcopulis illiſa, aquis ſubmerſus miſere periit) Romam 1576 miſſos, confirmationem Papæ Gregor. XIII. Rex tentavit. Interea alio uſi ſunt Liturgiſtæ ſtrategemate; literas, ſub politicæ obedientiæ titulo, ab omnibus qui parochiis ſive ſcholis erant præficiendi, extorquendo obligatorias. Siquidem autem his non potuerunt veritatis amatores ad hypocriſin duci, alia ἐπιχειρήματα ex officinis carnificum adducebantur, in quas, tamquam in boum præſepia, detrudebantur. Hinc qui liberari cupiebant, prius juramento promittere cogebantur, *ſe nihil ore vel opere, ſcripto vel conſilio, privatim vel publice admiſſuros, quod S. R. M. voluntatem in cauſſa Liturgica vel alia infringat* o). Juramenti adfert Joh. Salemontanus

o) *Baz lib. 3. c. 57.*

nus hanc formulam *p*): Doch til yttermera wißo / at jag thetta föreſtrefna hålla ſkal och wil / beder jag mig ſå ſant Gud til hielp til ſiel och lif. Och om jag här emot nogorledes giör / tå ſkal thenna förpliktelſe komma mig til fördömelſe och min ſiels ſalighets ewiga förtapelſe / therföre hwarken böner eller förböner / ſkrifterne eller Sacramentet hielpa ſkal. Uſus inſuper Liturgiæ, in comitiis Holm. 1577. d. 15. Febr. approbatæ, ut in Eccleſiam introduceretur Gubernatoribus provinciarum mandatum eſt *q*). Sed rediit jam Dn. Pontus, & mox Anton. Poſſevinus, Jeſuitarum Archiſophiſta. Quo horrenda ſua *σκύβαλα* Eccleſiæ violenter obtrudente innotuit primum rugitus papalis. *Scitote*, inquiebat cum ſuis aſſeclis, *nos inobedientiam in cauſſa religionis haud quaquam poſſe, aut velle*

p) *in Præf. operis ſupra cit.* § 6.
q) *Baz. lib.* 3. *c.* 34.

velle boni consulere r). Hinc postea nata inquisitorum rabies: hinc edictum reg. 1580. d. 19. Maji, singulos pastores jubens, ut se in singulis missis totam Liturgiam quoad singula puncta servaturos, juramento quotannis confirmarent *s*): repugnantes velut perjuros, *ἀπροσηγορήτους*, & putrida regni membra resecanda. Sed cum neq; sic omnes ad obsequium redigi possent ad artes vulpinas relapsum est, qualis hæc; *aliquid saltem, fratres charissimi ex Liturg. servate, propter aliquam conformitatem, ne videamur discordes esse t*). Amplificata est quoque diœcesis Lincopensis, repetitumq; edictum p. m. regis Gustavi de accidentiis circa sepulturam. Sub toto demum tempore Liturg. non defuerunt, qui stylo gladios acuere conati sunt; infinita quippe fere spargebant Liturgi-

stæ

r) *Abr. Ang. hist. Lit. J.* 3. *s*) *Baz. l.* 3. *c.* 43. *t*) *Abr. Anger. hist. Lit. J.* 5.

ſtæ κακόγραφα & fætentia plauſtra paſquillorum, quorum maxime blaſphemum eſt & nefandum Closter-Laſſii & ejus aſſeclarum, quod verbotenus legitur apud Laur. Raimundi *u*), ſub nomine Diaboli editum; & nociva Apoſtatæ Andreæ Laur. Bothn. ArchiEpiſcopi proteſtatio *x*). Quam maluiſſent effuſionem ſangvinis, niſi ſapientia Magiſtratus abominabilem auſum ſubſenſiſſet, ipſi nos docent, quorum voces hæ ſubinde auditæ; *numquam fore bonum Eccleſiæ ſtatum, niſi aliis in terrorem quibusdam purpureus diſtilletur ſudor y*). Sic jam vi exemplorum, blanditiis, violentia, ac indefatigabili fallacium declarationum abundantia, plurimos ſibi attraxit Liturgia.

§. VI.

Quamvis vero plurimi, obligatorium hamum deglutitum, infixo pro-

u) *hiſt. Liturg. Miſc. x*) *Laur. Raim. hiſt. Lit. Miſc. y*) *Abr. Ang. hiſt. Lit. G. 6.*

profundus uncinulo, ejicere neſcientes, vehementem pati μεταμόρφωσιν, & deficere deprehenſi ſint; non tamen ita pauci, DEi beneficio, ex hoc ſtrepitu expergefacti, in delubra papiſtica, quæ Liturgia nobis propinavit, acerrime invehebantur. Inter hos primas facile laudes ſibi vindicat Illuſtriſſ. princeps Carolus, Suderm. Neric. & Vermelandiæ Dux, & clerus ejusdem ducatus z). Cum enim per legatos, L. B. Georg. Gera / Eric. Sparre & Secret. reg. Eric. Mathiæ, Duci oblata fuit Liturgia d. 8. Mart. 1576. cum petitione, ut illam in Ducatu promulgari, & miſſam ad hanc normam adminiſtrari curaret, reſpondit; *neque ſibi, neque regi liberum fore, vi, cum reformatæ religionis veritate, tum teſtamenti paterni, aliquam religionis mutationem admittere, eamque conſcientiis clericorum obtrudere a).* Quâpropter

z) *Laur. Raim. conſ. Baz. l. 3. c. 42.*

a) *Baz. l. 3. c. 42.*

propter Nycop. 1577. d. 27. Sept. universum convocavit clerum, ubi, habito concilio, literis & juramento juncti se obstrinxerunt Liturgiam numquam accepturos, nec ab August. Confess. in ulla parte deflexuros. Rege vero incessanter Liturg. approbationem urgente, anxie solicitus Dux quemadmodum res caderet, clerum ad d. 1. Maji 1587. convocavit Stregnesiam. Hic per septimanam commorati, singuli pro se suas rationes anti-Liturg. tradidêre, quæ collectæ ab eruditissimis, mensem adhuc remanentibus, in scriptum commune redigebantur, mittebanturque regi *b*). Sed firmum stetit & *prævaluit verbum Regis*, ideoque clerus Ducatus publico edicto perjurii condemnabatur 1588. d. 12. Febr. Quo cognito rursus conventum est Orebrogiæ principio Apr. 1538, ubi prodiit nova Stregnensium apologia.

§. VII.

b) Laur. Raim. hist. Liturg. Msc.

§. VII.

Regnum vero totum fæda colluvies Liturgica inundavit, præter paucos valde, puro verbo DEi munitos, quorum in numero ministri Ecclesiæ Holm. Olaus Medelpadius pastor, Abrah. Angermannus Schol. Rector, & Sacellani Dn. Pet. Erici & Ericus Petri exstiterunt primi. Hi, ad mandatum Regis, eruditas collegerunt rationes 1576. d. 1. Sept. cur Liturgia recusanda. Quanto pietatis ardore M. Abrahamus Angermannus se Liturgiæ opposuerit, scripta ejus ἐλεγκτικα, in quibus adversus Liturg. calamum strinxit, ostendunt. Hos sequuti sunt Theol. Profess. Upsal. Mag. Pet. Jonæ Helsing. Mag Olaus Luuth & M. Hindr. Gadolenus, qui ὀρθοδοξίαν, prius Holm. d. 10. Jan. 1577 adversus Closter-Lassium defensam, d. 27. dito testimoniis Lutheri, Chemnitii, Georg. Majoris & Flacii, comprehenderunt. Hac eorum

eorum disputatione, maxime autem visione infernali c), Salom. Birgeri Past. Holm. motus, Liturgiæ ἀμυσὶ è suggestu renunciavit, & scriptum anti- Liturg. reliquit. Huic proximus fuit Martinus Episc. Lincopens., cui, in comitiis Holm. d. 13. Febr. ejusdem anni, solo à sinistris relicto, ArchiEpisc. Laur. Gothus, Closter Lassius & Episc. Aros. Liturgiam propugnantes, mutatis vicibus, ad vesperam usque negotium fecerunt: mansit tamen Martin. immobilis & contra Liturgiam scripsit. ArchiEpisc. Laur. Gothus, observans tandem laqueos, eruditum contra molitiones papist. tractatum ἀνώνυμον edidit. Noti sunt qnoque Professores Upsal. Mag. Pet. Kenicius, Nicol. Olai Bothn. & Ericus Skinnerus, quibus accessit 1590 Eric. Skepperus Rect. Scholæ Holm., quod ore & scriptis Liturgiam repudiarint. Hinc non

 exclu-

c) *Abr. Angerm. hist. Liturg. E.* 8.

excludendi sunt exteri Aug. Confess. Theologi, utpote Vitteberg. Helmstad. Lipsi. & Francof. ad Oderam; nec non Superintend. Jac. Rungius, omnes uno ore Liturgiam improbantes. Infima quoq; plebs, mutationem docendi sentiens, facile turbas excitasset, nisi quidam pastor Liturgicus cum quodam rustico silentium stipulatus fuisset. Quæsivit enim pius quidam rusticus, crebro fabulosis sui pastoris concionibus offensus, *cur sic docendi modum mutet. Quasi tu*, inquit pastor, *de concionibus judicare posses. Immo*, ait alter, *utcunq; sit, à pia docendi via discedens frivola sæpe adfers. Fortasse nobis in fraudem: ego plures monendos esse censeo, ut simus vigilantiores.* Tum pastor, *mi vicine, boni semper fuimus amici; ne facias; habet suam caussam: dabo tibi taurum d).* Sic rusticus abduxit taurum, & conticuit.

§. VIII

d) Abr. Angerm. hist. Liturg. H. 6.

§. VIII.

A silentio denique vindicanda erit παῤῥησία Vexionensium, qui ut ultimi defecerant, ita primi, conscientia victi, resipuerant, & per duos pastores, quorum dona Eccles. Hom. pastore orbata, explorabat, supplices contra Liturgiam literas regi obtulerunt: libertatem, quam Christus nobis acquisivit, sartam tectam exoptantes: ac, ne traditionibus humanis in caussa religionis alligarentur: provocando simul ad concilium nationale. Hæc eorum protestatio acerbum primo à rege tulit responsum; sed, nolentibus pastoribus cum hoc ad suos redire, & ægritudine regem vehementius premente, per Senatores regni Illustriss. Dn. Claudium Bielke & Benedict. Ribbing mitigatum fuit, Regina Gunilda haud parum adjuvante, moderationem caussæ Liturgicæ concedendo, donec rex convalesceret. Verum

ansam convocandi patriæ clerum, regi prærípuit indies augescens morbus, quique vitam mense Nov. 1592 decurtavit; atque sic conticuit cum morte Regis factio Liturgica. Renunciavit etjam naturæ ArchiEpisc. Andreas 1591, ut cordatis amplius nihil mali à Liturgistis exspectandum erat. Quâ vero intentione Rex Johannes & Regina Catharina Jagellonica; quaque Jesuitæ Liturgiam in Svec. inferre voluerint, futura, si DEo, & iis, quorum interest, ita visum fuerit, ἐπίκρισις pro viribus explicabit, cui quoque Liturg. effectus adjungetur. Hæc interea, quæ de ortu Liturgiæ & progressu breviter judicio Tuo L. B. exposui, æqui boniq; consulas, enixe rogo.

Δόξα τῷ ϒψίστῳ.

* * * *

Pereximio Domino

ANDREÆ LINDER,

Populari & Amico ſuo integerrimo,

De

Liturgia Romano-Svetica

propediem diſputaturo.

ARrtes dum ſtygias nobis deſcribis, Amice,
Auſoniæ impoſtor, quibus heic exſtingvere quondam
Lucem Evangelii cœleſti e lumine verbi
Accenſam ſtuduit, tenebrarum & regna referre.
Ecce TIBI Pallas & Pindi præſul Apollo
Promeritis ſpondent vernantis præmia lauri.

Ita pauciſſimis licet verbis; prolixiori tamen affectu gratulari voluit

CAROLUS AGERTHIN.

VIRO JUVENI,

Moribus & literis præstantissimo,

Dn. ANDREÆ LINDER,

DE

Liturgia Romano-Svetica, egregie differenti.

CAtholica ut Siren Patriæ stupefecerit oras,
Dira superstitio quam nova sacra paret;
Dum Sveonum quondam moderatur regna Johannes.
Hæc Tua nos, LINDER, *pagina docta docet.*
His faveat cœptis Summus Moderator Olympi,
Præmia quo tandem digna labore feras.

OLAVUS LINDBERG.

Til then wällärde
Herr AUCTOREN,
Då han om
Romare-Swänska Mässan
Berömligen disputerade.

THen stora Guders stora namn
At flåste folkslag dyrkas;
Doch olik Gudstjenst finner man
Hos största delen yrkas.

Ty många finn's som tänkia sig/
Then rätta Guden söka/
Tå the sin hufwud flitelig
För stumma bilder kröka.

Så giorde fordom folk i Rom/
Som Påfwens stadgar höllo/
Och hålla än för heligdom/
Uti Guds hämd doch föllo.

That onda gift och spriddes ut/
Kring många länder andra/
At Götha Rike most til slut/
På all thes dichtan klandra.

Then

Then thetta önskar rätt förstå!
Han bör gran achtning gifwa/
På hwad Herr *Linder* wittert må
Om *Liturgien* skrifwa.

Then han fast ömnigt wisat har
Til sit beröm och heder/
Som präglas skal i minnet qwar
Fast bättre än i Ceder.

Sidst at Er Lind/ som bladen grön
Om wintren bär/ och grönskas/
Må Sommartiden fruchter skön
Fram gifwa/ af mig önskas.

S. A. Santheson.

A. D.

DISSERTATIONIS HISTORICÆ,

DE

LITURGIA

ROMANO-SVETICA,

PARTEM POSTERIOREM

Ex Suffragio Ampliſſ. Facult. Philoſ. Upſ.

PRÆSIDE

CELEBERRIMO VIRO

DN. LAURENTIO ARRHENIO,

Hiſtor. PROFESS. Reg. & Ord.

h. t. RECTORE MAGNIFICO,

In Audit. Guſt. Maj. d. 14. Junii

Anni MDCCXXIX

horis ſolitis,

Pro ſummis in Philoſophia honoribus,

examini publico exhibet,

ANDREAS LINDER,

SMOLANDUS.

UPSALIÆ, Typis WERNERIANIS.

VI

Amplissimis &

DN. JOHANNI LINDERSTEDT,

Judici, per Roslagiam, Territoriali æquissimo,

Evergetis

VIRO *Spe*

DN. ERICO

Reg. Coll. Metall.

Benefactori

TErgeminæ, si quando, animis linguisque favete
Nunc, mihi nunc voces cultas date, pignora Pindi,
Quæque *Viros* deceant, tantos deceantque *Patronos*:
Sustinuit quibus alta Themis se pandere totam,
Cœlestisque Astræa recluſit pectoris ima:
Quemque, nigrâ fuligine tinctis, Penniger ales
In caveis, antrisque facit properare profundis,
Perque cavernosos jussit penetrare meatus;
Rite ut quisque loco legum moderetur habenas.

Amplitt. Consultiss. & Spectatiss.

cultor

ANDREAS

RIS
Consultissimis,

DN. LAURENTIO STOCKENSTRÖM,

Judici, in Nericia, Territoriali æquissimo,
Optimis.

Etatissimo,

STOCKENSTRÖM,

Notario vicario perindustrio,
Optimo.

GRatia tarda meis nullis fuit usibus unquam
Vestra, favoris ego donec sum inclusus in umbra
Communis. Si animi obsequio hujus non meminissem,
Improbus & lapide atro essem dignusque notari.
Quæso, hæc pro magnis sumatis vilia dona,
Quæ, placeant modo, sic *Vobis* me debeo totum.
Grates persolvat meritis moderator Olympi,
Pro quibus affirmat fore se memoremque piumque,
Sive diem videat, cinere atro sive tegatur.

Nominum Vestrorum

humillimus
LINDER.

Til
Sin Bror och Lands-man/
CANDIDATEN
Herr ANDERS LINDER,
Då Han andra gången om Liturgien med berőm Disputerade

VEt Satan ej får fram med trug/
Tro frit han altid är så slug/
Med list och fina ränkor drifwer.
Hur' genom konst med Liturgie,
För rent Guds ord / Papisteri
Han wille gje/ther om Bror skrifwer.

För slik Ehr tienst lär Far i Rom/
Ej torf der någen twista om/
Ehr mycken tack och heder giöra;
Til Abbot eller Cardinal,
Och gie Ehr rum i Påfwe-wal/
Samt sidst i Helgons-rullan föra.

Låt wara at han glömer sig;
Skal dock Ehr flit ei olönt bli:
Man snart Ehr skall en Lager gifwa.
Jag önskar trogit / också spår/
At I för möda hugnad får.
Bland Helgon Gud Ehr wil inskrifwa.

N. M. GRÅNDWIST.

A. καὶ Ω.

CAPUT TERTIUM.

De ſingulorum Liturgiam promovendi inſtituto.

§. I.

VErſutias Sathanæ, Dei & eccleſiæ hoſtis, varia obſtacula promovendæ pietatis, & numeroſa impedimenta veræ religionis piis objiciendo, omnis loquitur hiſtoria. Novit enim is, ab initio usque temporis mille induere formas, non ad hominum vulgo tantum, ſed acutiores etjam & providos magis ſeducendos diſpoſitas. Modo namque ſub pelle leonina, in perſecutoribus piorum latens, eccleſiam infeſtat: modo vellere indutus ovili in ſcenam prodit, & per falſos doctores, quorum caput in ſe-

nio mundi factus est homo peccati Papa Romanus, toxica spargit. Suggestionibus ductoris sui hunc sedulo semper paruisse, &, ut totum mundum ejus, cujus vices gerit, & suæ subjiceret servituti, toto pectore incubuisse, testantur antiquioris ævi annales. His denique fraudibus divina gratia detectis, prævidit omnis pietatis ofor ædificii sui imminentem ruinam. Quo igitur studia jam exculta, non tantum non detrimenti quid, quin magnam potius regno tenebrarum adferrent utilitatem, Ignatio mox, arrepta occasione, indidit, qui se illati reparatorem damni, scholarchiam in se suscipiendo præberet. Ex hoc deinceps, arx & propugnaculum Papæ, ordo Lojoliticus prodiit; cujus præcipua est cura, ut vulnera bestiæ, deperditarum, uti dicunt, ovium recollectione, medeantur, eandemque continua novorum civium accessione saginent. Hoc suo officio, quam intenta diligentia, tempore Liturgico in Svecia perfuncti sint Jesuitæ, sequentia dabunt,

§. II.

Pontifices Romanos, inde a tempore reformationis, summo studio elaboraſſe,

laboraſſe, ut regna ſeptentrionis, cujus initium de regno Sveciæ caperent, ſub jugum Romanum reducerentur, plenissime quidem ex effectu operis Liturgici judicatur: ſed nec ex ſcriptis Jeſuitarum, partim ante confuſionem Liturgicam, partim in ipſo tumultu editis, & aliis machinationibus, idem obſcure colligitur. Non quidem, reſtituto literarum nitore, adeo ſuperbe & pro imperio, ut antea, impietates ſuas populis proteſtantibus obtrudunt; ſed in hoc maxime deſudant, ut illos in gremium eccleſiæ ſuæ aliis, quibus poſſint, ſpecioſis artibus retrahant. Harum una, eaque inter præcipuas eſt, ut Evangelicis matrimonia cum catholicæ religioni addictis principibus ineunda perſvadeant *a*). Sibi namq; variis exemplis notiſſimum habent, principes regnorum multa blanditiis conjugum ceſſiſſe, ſiquidem *aſperiores ſunt*, teſte Ambroſio epiſt. 33., *tentationes, quæ fiunt per mulieres.* Tentarunt quidem antea, ut Guſtavum I. his ipſis compedibus conſtringerent, nuptias inter hunc & Hedvigam, Poloniæ regis Sigismun-

di I. filiam, pacisscente Joh. Magni Archiepiscopo Upsaliensi, in qua defensionem & patrocinium religionis Papisticæ quæreret *b*). Sed constans ille veritatis confessor & pietatis atylum, sponsa, conditionibus & dote repudiatis, non passus est se hisce laqueis irretiri *c*). Licet igitur jam spe frustrati discedere, & proposito abstinere coacti sint, nimio tamen amore in hanc sponsam, ecclesiam Svecanam, incensi, non potuerunt, quin ulterius, an. 1562, eandem ingrederentur viam, feliciorem, Gustavo jam mortuo, sibi promittentes successum. Quamprimum enim sollicitarat Johannes dux Finlandiæ nuptias Catharinæ, filiæ Sigismundi Augusti, regis Poloniæ, easdem conciliante Joanne Baptista Thencinio *d*), fuerunt mox à parte Catholicorum hæc conjugii istius postulata: ut non solum ipse, sed & totum regnum, si rex fieret, dogmata Papalia amplecterentur *e*). Ne vero simpliciores, quin & oculatiores nudis fraudem viderent oculis, technasque consilio & auctoritate Jesuitica peragi suspicarentur,

opera

opera potius indigenarum, quorum præceptis ſecurius antagoniſtæ adquieſcerent, uti voluerunt: quum *propter mutatam, a principe, vel publice vel privatim religionem patriam, & ob peregrinam ſuſceptam, populus à principe ſæpe deſciſcere ſoleat f).* Hos igitur, perſuaſionibus & ſpe opimioris præmii & majoris auctoritatis obtinendæ ſeductos, ſtrenue in caſtris illorum militaſſe, infra dicetur. Obtinebant tamen, ut reginæ a ſacris concionibus concederetur Herbeſtus, in quo maximas ſpes poſuerunt ſuas. Hic igitur, extorto, quod ſibi injunxerat Archiepiſcopus Laurentius Nericius, reticentiæ capiſtro, nullis ſui officii partibus umquam defuit, quin dies noctesque cogitationibus ſuis in id unice, quod ad curiæ Romanæ incrementum pertineret, invigilarit. Quo etjam brevi effecit, ut non tantum civium, tam ſecularis, quam eccleſiaſtici ordinis, ſed etjam ſummi magiſtratus favorem ſpecioſis ſuæ religionis delubris conciliaret.

a) Pufend. Introd. ad hiſt. Stat. Europ. c. 12. §. 39. b) Pufend. Introd. ad hiſt.

Svec. pag. 312. c) ib. p. 327. d) Heidenſteinius de bello Moſcov. lib. 6. pag. 238. e) vid. Diſp. part. prior. cap. 2. §. 2. f) Daneus in Aphoriſm. polit. pag. 204.

§. III.

Interea dum hæc aguntur, nec otio vacabant Jeſuitæ exteri, quorum Stanislaus Hoſius, Cardinalis & Epiſcopus Warmienſis in Boruſſia, ſingulari in antichriſtum zelo, id præcipue ſuarum eſſe partium duxit, ut tenellis hiſce initiis ſuo quoque ſubveniret conſilio. Cognita namq; Herbesti, animos ad orcum pervertendi dexteritate, ejusque haud ſpernendo ſucceſſu, crebro literas, faſtum non parum ſapientes, reginæ Catharinæ dandas exaravit. In his ipſe, tum quod non ab unitate eccleſiæ catholicæ, in ulla re divelli ſe paſſa fuerit, tum quod ſalutem mariti ſui tantopere ſibi curæ eſſe, oſtenderit, reginæ gratulatur: quin &, ut in fide catholica perſeveret; auctoritatem pontificis agnoſcat, & regem ab erroribus, in quos, ut perhibet ille, fraude miniſtrorum Sathanæ adductus eſt, ad Gregorium XIII, *patrem omnium fidelium*

& paſtorem eccleſiæ univerſalem, evocare enitatur, graviter eam monet. Eandem fere ſententiam ſcripſit Regi & aliis, quos id ipſum apud regem obtinere poſſe putabat: imprimis omni conatu, calicis uſum laicis, in S. Cœna, quaſi minus ad ſalutem neceſſarium, diſſvaſit, donec prius ſe vicario Chriſti ſubjecerint, & *ſacrificium miſſæ*, ut ſignum reditus ad eccleſiam, *cum omnibus ſuis cerimoniis reſtituerint a)*: *tum* enim *de reliquis per eum, cui claves regni cœlorum commiſſæ ſunt, ſuo loco & tempore ſtatui recte poterit*, habent verba Hoſii ad Herbeſtum *b)*. Hæc & alia huc facientia, quo penitius animo regis Jeſuita inſtillaret, varios ipſi libros Papiſticos curabat transmittendos, quorum quidam denuo Holmiæ excudebantur, ut Conſultationes conciliandarum religionum Caſſandri, Vincentius Livinẽſis de antiquitate fidei catholicæ, &c: ex quibus & ipſe, & reliqui omnes fundamentum fidei Romanæ cernerent, haurirent. Interea efflagitare non deſtitit, innocentem patriæ prolem, ad Scholas & Academias Jeſuiti-

cas, præcipue Romam emittí, cui Papa ſuo ſumtu, & libros, & reliqua neceſſaria provideret *c*); non quidem ut bonis literis ibi & moribus expoliretur, & in vera pietate informaretur, ſed diabolo ſacrificaretur. Hujusmodi impenſas magno deſiderio ſibi aſſumere Papas, ex Jona Meldorpenſe conſtat *d*). Cum jam, facta miſſione juventutis patriæ, regem in partes ſuas paullo altius inclinare videbant, occaſionem exinde ſibi plures, in regnum, collegii ſui ſocios mittendi ſumſere, qui, donec ex profectis, papiſtica impietate imbutis, idoneos haberent coadjutores, ne multiplicari cohortem ſuam in offenſam civium neceſſum eſſet, regem interim inſtruerent, reginam confirmarent, atque plebem converterent *e*). Hi, ut Hoſius ſuis epiſtolis, aſſidue inculcarunt regi, ut quamprimum, rupta omni mora, & ſemota quavis cunctatione, mitteret, qui ſe pontificis, paternam in Svecos benevolentiam oſtendentis, filium obedientem promitteret. Sic ludit Sathan, ut prius abs hominibus agnitionem ſupereminentiæ ſuæ efflagitet, quam

ulli

ulli eorum petitioni gratificetur: facilius sibi ratus, tum demum eos ad acquiescentiam placiti sui cogere. Regem, diu licet, an hoc iniret pactum, cunctantem, fraus tandem Jesuitica, sedis suæ sanctitatem & antiquitatem prætendens, vicit, ut in legationem hanc Pontum De La Gardie, Virum alias summum, & immortalibus de patria meritis conspicuum, & Fechtenium, ablegaret. Multo, hoc evicto, animosius, victoriam in manibus rati, & cum tripudio Svecos insultabant; ut Kloster-Lassius vulpinum cor suum magni cœtus clero, in sacrario Holmensi congregato, ingenue Papam Romanum caput ecclesiæ proclamans, prodidit *f*).

a) Baz. l b. 3. cap. 16 b) id. l. 3. cap. 28. c) Pufend. Introduct. ad hist stat. Europ. c. 12. §. 39. Baz. lib. 3. c. 14. 16. & 26. d) de Molitionibus Rom. Septentrionem sub jugo reducendi. e) Jon. Medorp. l. c. f) Laur. Raimund. hist. Lit. Mss.

§. IV.

Quum autem ex hoc & aliis aperti sint quibusdam oculi, ut liquido cognoscerent, hanc rem non se

puriori

puriori antiquitati conformandi ergo, ut prætendebant prius Jeſuitæ, ſed in gratiam ſedis Romanæ peragi, delubris iſtis & impoſturis, Liturgiam in totum rejiciendo, ſtrenue ſe oppoſuerunt. His igitur antagoniſtis, quos nec venenatæ perſuaſiones, nec ullæ figuratæ declarationes, placare poterant, ut obviam iretur, validum hoc, e veteri quodam promtuario, antidotum protulerunt: *Sumere de hæreticis ſupplicium, tam de Lutheriſtis, quam de Calviniſtis, apud Catholicos nunquam fuit in dubium vocatum*, quem canonem regi ſubinde in memoriam revocabant *a)*. Stupenda ſane res Hoſio videtur, quod ſubditi audeant præſcribere principi, qualem in religione ſe gerere debeat. Ut igitur ſciret rex juramento, ſubditis in coronatione, de libertate religionis Evangelicæ retinenda, dato, ſe non alligari, illud regi & Secretario Stanislao Reſcio ſolvendum his ſvaſit: *Mitto tibi turpiſſimi illius jurisjurandi formulam, qua uſi ſunt oratores, cum rex eligeretur, urgentes, libertatem religionis eſſe hæreticis concedendam. Dabis omnem operam, &*

omnibus

omnibus modis contendes & elaborabis; omnem, quod ajunt, lapidem movere non ceſſabis, ne S. Rex adprobet jusjurandum hoc; etſi Majeſtas ejus jam adprobaſſet, non teneri tamen ut præſtet. Nullam ſævitiam præ ſe ferat; ſed neque lenitudinem. Illius dicti meminerit: ſævit in bonis, qui parcit malis. Nullos hæreticis honores, nullas præfecturas, nulla publica munera deferat. Quin ſi fieri poſſit citra tumultum, quamvis non initio, tamen dicat aliquando: qui nolunt in eodem ſecum eſſe templo, ne ſint in eodem ſenatus habendi loco. Quod ſi cognitum fuerit, intra unius aut alterius anni ſpatium erunt omnes Catholici b). Quo conſilio in actum deducto, non veritus eſt impoſtor ſcortorum & adulterorum Kloſter-Laſſius, de ſe ſuisque catellis dicere: *Videbitis, quod intra annum imperabimus c).* Additis namque minis poteſtatis civilis, quidvis, maximo licet ſcelere conjunctum, ſimplici populo obtrudere licebat.

a) Vid. part. prior. c. 2. §. 5. b) Baz. l. 3. c. 13. c) Angerm. hiſt. Liturg. lit. Q 5.

§. V.

§. V.

Ut denique omnium prorſus, ab avita religione evangelica, averterent animos, prolixam congeſſit Kloſter-Laſſius epiſtolam, toti presbyterio regni, ſub nomine ipſius ſathanæ ſcriptam. In hac ſathan rex inferorum illos omnes, ut ſuos juratos ſubditos ſalutat, eosque ſuum verbum in eccleſiis ſuo populo prædicare cohortatur; quo tandem Luthero & Laur. Nericio, quos ſe in ſua regna Flameburgum usque abripuiſſe ait, congregentur, ut pluribus apud Laur. Raimundi *a*) videre eſt. Huc pertinet quoque ſcriptum Poſſevini, editum contra Dav. Chytræum, evangelicæ religionis doctorem, cujus, ut aliorum ſimilium, ſcripta, errores & idolomaniam papiſticam coërcentia, noſtris tanti eſſe pretii invidebat. In id igitur incumbit Poſſevinus hic, ut illum non ſolum, ſed Lutherum, aliosque Theologos conſtantes, quos regnum noſtrum hæreſi infeciſſe adſerit, quibus poſſit convitiis deformet. Quorſum autem hæc omnia tendebant, niſi ut noſtris daretur de veritate religionis

gionis ſuæ ambigendi occaſio; & catecheſis Lutheri, aliæque piæ ſcripturarum interpretationes, ſenſim in ſuſpicionem venirent; ac tandem uno impetu, ex manibus juventutis & eccleſiæ, reſtitutis juxta ſubſcriptionum decreta patribus, fermento pontificio depravatis, excuterentur? Nam per nomina pie defunctorum eccleſiæ doctorum, illos noſtræ ſalutis jugulum petiiſſe, valde pronum eſt colligere. Sed nec vivis parcitum eſt, ut Klöſter-Laſſius, cum ſuis ſynagogianis, de quatuor potiſſimum in hunc modum luſit:

Delirum ſenem te nullus, Olae, negabit,
Stultus eras infans, Vir, puer & juvenis.
Non ego Profeſſor ſum prudens Upſalienſis,
Me volo, me conor perdere, me cupio.
Cum bene conveniat cum ſpurco ſtercore ſtercus,
Jure Lutho liceat commaculare lutum.
Scis, Abrahame, DEi, regisque & Præſulis oſor,
Quod merito perdes corpus, opes, animam.
Tres dominos ſpernis, tres debes pendere pœnas.
Cur ita? nam juſtum, par retuliſſe pari.

Quin

Quin te Missa premat, & Missa missio fiat;
Ilia quæ purget sic tua, ne noceas
Transmitteris ad hæc, & ab his removebe-
ris oris,
Missio de Missa fiat ut æqua tibi.
Sedibus ex patriis quod si mittamur, oportet
Nos Abrahamitas vivere jure Scythas b).

a) Hist. Liturg. mss. b) Angerm. hist. Lit. K. 6.

§. VI.

Fuit quidem hujus instituti magna vis, sed non quæ desiderio eorum respondebat: multis namque, Liturgiam hucusque adprobantibus, occasionem præbuit, majori cura mysteria hæc Liturgica evolvendi. Facta igitur ab his separatione, ne plures offenderent, reversi sunt, unde digressum erat. Institutæ sunt, inter Episcopos & sacerdotes, disputationes theologicæ, quibus in mutua odia irritati sunt, de quo Abr. Angermannus queritur: *An vero tantisper turbabimus ecclesiam, & inter nos βατραχομυομαχίαν exercebimus, donec aquila erit judex, h. e. donec Posseviniani ordinis quispiam peregrinus doctor & episcopus, sub sancta specie religionem*

nem reformabit, conformitatem constituet, & sub antichristi jugum colla nostra incurvabit a)? Quanto pontificiis emolumento semper fuerint contentiones & dissidia, ac inutiles plerumque rixæ, quibus adversariæ religionis theologi se lacerarunt, historiæ passim docent; nam *decet*, inquiunt, *hæreticos in mutua arma incitare: bellum enim hæreticorum pax est ecclesiæ b)*. Aderat quoq; jam tempus, quo Sveticæ gentis alumni, absoluto Romæ & alibi, in palude meretricia, studiorum cursu, in patriam remitterentur, ut in natale solum virus attractum fortius effunderent. His adjecta est alia turba rasorum, cui Possevinus, præcipuus harum missionum Brunsbergæ residens director, instructionem hanc insidiis plenam dedit: *ut essent invicem unanimes, ne per dissentiones impediretur opus: ut professionem occultarent, ne iis, unde aliquid incommodi posset oriri, patefierent: aperte vero, aliis se esse nuncios ad principem Sigismundum; aliis se ob musicam à regina procuratos esse dicerent: ut vestes, mitras, seu galeros, more Germanico, ne agnoscerentur, mutarent: ut con-*

filiis sociorum in aula notissimorum uterentur: &c. quam duodecim articulis comprehensam recitat Bazius *c*). Huic similis est Hosii ad Herbestum: *Expedit autem*, inquit, *ut is, qui mittitur ad vos, omnem occasionem fugiat, quâ possint animi omnium offendi. Poterit fidem in cœlum usque tollere: operibus extra fidem factis nihil tribuere: Christum unicum esse mediatorem asserere: unicum illud esse sacrificium crucis, per quod salvati sumus, docere. Quæ cum in genere docuisset, tum demum eorum, quæ docuit, sanum intellectum afferre, & planum omnibus facere d*). Ex his jam & similibus aperte constat, quis insidiator, explorator, actionumque ecclesiæ nostræ director illis temporibus exstiterit, qui omnia, ne perniciem suam animadverteret, astutissimis consiliis egerit.

a) Angerm. hist. Lit. X. b) conf. Pufend. Introd. ad hist. stat. Europ. c. 12. §. 39. c) l. 3. c. 48. d) Baz. l. 3. c. 28.

§. VII.

Ulterius jam dispiciendum venit, in cujus gratiam, religiosi animi rex tantam religionis mutationem, contra

gl.m.

gl. m. parentis ſui teſtamentum, & agnitam veritatem, inque notabilem eleri, aliorumque conſcientiarum offenſam, in patriam tanto animo infe-
rendam ſuſceperit. Proteſtatur quidem ipſe, Liturgiam ſe non adprobaſſe, in gratiam papæ Romani, ſed ad excitandam reverentiam ſacramento cœnæ dominicæ *a)*: nec diffitendum eſt, regem, poſt mortem Catharinæ, conſiliis Senatorum ſe accommodaſſe, ut Kloſter-Laſſium ejecerit, diſſipato diſcipulorum ipſius nido: angulare ſynagogam papiſticam, & reliqua Jeſuitarum collegia, Jeſuitasque è regno exploſerit: & paſtorem Holmenſ. officio privari voluerit. Interim ex totius actionis Liturgicæ proceſſu, cujus plenum fere directorium, ſub nomine magiſtratus, penes Jeſuitas fuit, quid in ipſo fervore Liturgico cogitaverit, rationibus haud dubiis patet. Quod v. tantam inſtituti ſui moram adhibuerit, ne aperte, ut lubens alias feciſſet, cogitationes ſuas, de catholica religione, profiteri auderet, metus oriundi tumultus, & ſuſpicio in fratrem, Ducem Carolum,

effecit, ut benigne, quo est in me favore, Vir Consultissimus Dn. Joh. Linderstedt, ex Mss. Prütznii *b*), *De jure Svionum publico*, mecum communicavit. Atque ideo Michaël ab Isselt papista, in commentario suo historico scribit: *ulterius adhuc in aquilonem proficiscamur, Svecorum & Gothorum religionem videamus: minor quidem hic fidei catholicæ spes, non tamen omnino nulla. Rex enim etsi insignes animi dotes habeat, tamen non eam libertatem catholicæ religionis admittit, quam multi desiderant c*). Ideoque paullatim instituit eo (*ad papatum scl.*) reducere omnia, unde discessum erat. Nam primo noluit confirmationem episcoporum Upsl. & Arosl., antequam in articulos quosdam, ceu fundamentum totius structuræ, & inaugurationem suam papalem consenserint. Deinde, cum nullum, extincto cordis mœrore Episc. Aboensi, inveniret suo proposito idoneum, sedem episcopalem per septennium vacare fecit. Qui autem, rationibus licet firmissimis, Liturgiæ se opposuerunt, hos variis modis persequutus est, carceribus mancipavit, quin

quin & propriis manibus pedibusque ad herniam usque conculcavit; quibus, multoties licet ad liberum supplices provocaverint concilium, spondentes se, quodcunque verbo DEi consonum statutum fuerit, admissuros, tamen negatum fuit. Hunc regis decepti furorem auxit adveniens Possevinus, persvadendo ei, ut in suggestum templi Upſ. Kloster-Lassium, de invocatione sanctorum, coram rege, totoque Sessnatu, concionem habiturum, mitteret; quod Jesuitis Holmiæ quoque legitur permissum fuisse. Reginæ etjam non tantum liberum religionis exercitium, sed & Sigismundum, regni hæredem suspectis informatoribus tradendum indulgebat. Tandem eo adactum fuisse, ut Vadsteni religionem catholicam clam confessus, more papistico absolutus fuerit, & sub una specie communicaverit, habet Puffendorfius *d*). Nihilominus contendit rex suspicionem Papismi, & oretenus multis, & publico edicto diluere, in quo phrasin, *offerimus filium DEi*, explicuit: *Asini illi*, ait, *nesciunt Papistas in sua missa, offerentes filium DEi*

ſacrificium pro vivis & mortuis, non uti voce offerendi, ſed ſacrificandi. Neque nos illud offerimus *ſvetice reddimus* Offra, *ſacrificare, ſed* frambära, *proferre: ergo nobis falſo imputant Papiſmum e).* Quatenus a. hæc reſponſio illorum rationibus ſatisfaciat, quis non videt? Interea non negandum eſt, Jeſuitas, inſcio rege, multa, quæ ei poſtea in ignominiam ceſſerunt, feciſſe, ut de impreſſione Catecheſeos Caniſii, in memorato jam edicto queritur: nec aliud fortaſſis privilegium habuerunt recudendi Liturgiam, in 4, A:o 1585, excluſa omni gloſſa, donec & Sveticus textus expungeretur; quod tamen inceptum evanuit.

a) l. c. cap. 63. b) l. 1. c. 6. §. 6. c) Abr. Angerm. hiſt. Lit. V. 7. d) Introd. ad hiſt. Svec. p. 467. e) Baz. l. 3. c. 52.

§. VIII.

Regina vero Catharina, ut catholicam hic propagaret religionem, tanto magis ſibi cordi eſſe voluit, quanto in commentis ejus penitius enutrita fuerat, & quo majus ob hoc in cœleſtibus præmium ſe reportaturam credi-

crediderat. Meminerat quippe iniți matrimoniorum pacti, quod marito jam ſedulo in memoriam revocabat. Cui quoque Hoſius longam blanditiarum ſeriem regi inculcandam ſuppeditavit: *Interim*, inquit, *his verbis illum alloquatur: Mi rex, mi Domine, mi conjunx mortalium omnium chariſſime, caro tua ſum, os ex oſſibus tuis, in carnem meam a Deo poteſtatem tibi traditam habes, de illo, quod voles, ſtatuas licebit, & certe tanti te facio, ut ſi non aliter, quam interitu carnis meæ, ſalutem animæ tuæ comparare poſſem, vilis eſſet ejus jactura mihi futura. Spero me tibi non futuram Evam. Utinam tu quoque ne mihi ſerpens ille velis eſſe, per quem Eva decepta, maritum etjam decepit. Quamobrem audi me, quæſo, patienter. Facile tibi ceſſero, ut de calice bibam, modo non ab obedientia eccleſiæ diſcedam. Sed ſi bona cum eccleſiæ venia licuerit, faciam lubens, modo tu quoque meæ cuidam petitiunculæ locum des. Vides, quod populi ditionis tuæ, longe diverſam ab ea religionem colunt, in qua ego ſum educata, & omnia ad cultum pertinentia, tum & ſacerdotium & ſacrificium*

pror-

prorſus omne ejecerunt. Hoc reſtituas, quæſo, & paullatim eo redeas, unde majores tui diſceſſerunt, ad ſedem Romanam confugias, ab illa tuæ diſceſſionis veniam ſupplex petas. Efficiamur prius unum & integrum corpus Chriſti omnes, &c. *a).* Ad hunc igitur & ſimilem modum, eam cum rege egiſſe, haud dubium eſt, quo animum ejus ad conformitatem conciliaret. Ut autem ſuum, in religionem catholicam, ardentem zelum eo plenius omnibus teſtatum faceret, Collegio Brunsbergenſi ſummam X millium thalerorum legavit, pro quibus tot emti ſunt fundi, ut inde nongentos florenos quotannis perciperent; quâ uſura ſtudioſi ex Svecia juvenes non pauci poſtea alebantur.

a) Baz. ib. c. 12.

§. IX.

In ſuperioribus dictum eſt, Jeſuitas patriæ præcipue cleri, in promovendo negotio Liturgico, opera uti voluiſſe. Nam certum eſt, has molitiones, tam pronos niſi artifices hujus idoli inveniſſent aſſentatores, facilesſ-

cilesque adprobatores, mox in ipsis fere cunis periisse. Quod si, cognitis undiq; multorum conscientiæ cruciatibus, subscriptionum fallacium retractationibus, aliorumque intrepida constantia, fraudi plus, sub Liturgia artificiose & ubertim tectæ, quam onustæ prædæ attendissent, forte nec adeo Rex vehementer in tantum, quod accidit, ecclesiæ exitium unquam inclinasset. Maximam enim regi fuisse defectionis caussam constat, quod non tantum Archi-Ep. Laur. Gothus Liturgiam suo nomine publicavit, sed m̃ cum reliquis episcopis, propositum decepti regis in totum annuit; cujus itidem ex Mſſo Prütz*ii* *a*), copiam mihi fecit Consultissimus Dn. Linderstedt. Ideoque, cum inferioris conditionis sacerdotes, illorum quoque requisito consensu, hypocrisin episcoporum damnarent, & suspectæ huic innovationi pio zelo se opponerent, hoc tantum illorum audaciæ, ut videbatur, argumenti loco objectum est, quod scl. *illorum erat solum adprobationi episcoporum adquiescere* : qui quippe, tanti nominis viri, optime rationes, si quæ essent,

essent, contrarias invenire potuissent *b*). Mortuo Gotho, repertus est mox alius, cui hæc offa arrisit, strenuus impietatum defensor, Andr. Laurentii, qui cum aliis ἀλλοτριεπισκόποις, & parte cleri, apertissime suam apostasiam, in illa Liturgiæ subscriptione facta A:o 1583, declaravit, arrogando sibi *judicium religionis & fidei c*). Et ab illo tempore, nullos hostilius oderunt, quam fideles ministros, qui eorum levitatem redarguebant. Atque sic omnis piorum, & ecclesiæ tribulationis culpa in solos hos Liturgiæ pernicioſos palliatores redundat, quod ipsi quidem in protestatione sua ingenue fatentur: *Ac cum harum rerum*, inquiunt, *de quarum fine & vera explicatione multi dubitarunt, assensus à nobis præbitus, principalis causa est hujus distractionis*, &c *d*).

a) *l. 1. c. 6. §. 5. b*) *vid. part. prior. c. 2. §. 5. c*) *Baz. l. 3. c. 44. d*) *Angerm. hist. Lit. C. 6.*

§ X.

Sed dicunt: *numquam ista nobis in mentem venerunt, ut sic imitaremur pontificios*

rificios ſacrificos, & ipſorum impietatem: abſit, ut ſic Chriſto illuderemus. Nos pio & devoto animo ea recitamus, in gloriam DEi, nihil inique cogitantes a). Quorſum a. hæc reſponſio? Judæi crucifixerunt Dominum gloriæ, per ignorantiam; ergo judicium DEi effugiunt? Merito itaque verba Hieron. de Joh. Epiſc. Hieroſol. his regeruntur: *perſvadere nobis vult, quod pure credat; pure ergo loquatur.* Ut a. ſe purgarent, & fuco piorum oculos obducerent, blandam edidêre proteſtationem; ſed qua ſibi ipſis, hoſtili verborum pugnantia, vim inferunt. Dicunt n. clare, actas res peperiſſe ſcandala, dubitationes, piorumque offenſiones: adverſarios confirmaſſe, ut de noſtra in ſuas partes conceſſione triumphent: quod a. pia declaratione (*Sophiſtica hypocriſi*) tollendum eſſe, & ſic officium cum fructu faciendum duxerunt, ut ipſorum verba ſunt *b*), quæ copioſiſſime perſtingit Angermannus. Sed adeo avaritiæ ſtudio faſcinati erant, ut verba revocare nollent: quin & dixerint, *non credere ſe, aliam eſſe veram eccleſiam catholicam, quam cujus Papa*

Rom.

Rom. ſit caput c). Cauſſa in promtu eſt. Ipſi, ſoricis inſtar, latibula produnt: *multa*, ajunt, *facimus propter panem d*), cui pollicem junxit ArchiEp. Andr. Laurentii: *faciendum quod reges vellint e*). Non miraberis propterea, Poſſevinum gloriatum fuiſſe, eccleſiam noſtram ſacrificium Papiſticum adprobaſſe.

a) *Angerm. hiſt. Lit. G. 2. b*) *ib. C. 6. c*) *ib. K. 7. d*) *ib. L. 3. e*) *Puffend. Introd. ad hiſt. Svec. p. 477.*

CAPUT QUARTUM.

De Effectu Liturgiæ.

§. I.

AD finem operis antequam propemus, paucis blaſphemi hujus idoli Herbeſt-Kloſt-Laſſ-Poſſeviniani, quibus per integros 18 annos eccleſiam miſere vexavit, viperinos fructus, ut oculis tuis B. L. ſubjiciam, inſtituti requirit ratio. Collegit hos, qua maximam partem, Laur. Raimundus, qui præſens multis his actionibus interfuit.

Qui-

Quidam ex Abr. Angermanni hiſt Liturgiæ innotuere, & in ſequentibus fere comprehenduntur.

Adprobata & in uſum recepta Liturgia, patentes valvæ, à Gregorio XIII huc miſſis, Jeſuitis apertæ ſunt.

Quoniam a. videbant, inſtitutum miſſionis ſuæ plurimum retardari, donec in eccleſia noſtra uſurparentur ſacri hymni, in quibus totam S. ſcripturam & religionem Evangelicam in compendium redegit electum DEi organon Lutherus, quos deinde ad genium linguæ patriæ aptarunt Olaus & Laur. Petri, fratres Nericii. Sic gravem hujus ſententiæ cenſuram Pſalmis ſubire, in fatis fuit. Quod n. Papiſmum redarguebat, exploſerunt, atq; ita Pſalmos alios prorſus eliminabant, ut qui ſub N:o ;1. 222. 236. 237. hodie exſtant: alios immutabant, ut N:o 295. ubi pro Slå nid Påfwens och Turkens mord/ ponebatur, alla Tyranners mord. *Cum gratia & privilegio Majeſtatis.*

Nec mitiorem correctionem, quam ſub manus ceperant, experta fuiſſet verſio Bibliorum Svecana, niſi ab opere deſitum fuiſſet.

In

In ordine quoque ecclesiastico magnam peperit *ἀταξίαν*: nam ibi subdole omnia, & sine prævia cognitione rei exsequebantur: Episcopi adulatores, invito clero, diœcesibus præficiebantur: Pastores Simoniâ & bonorum obtrectationibus ampliora beneficia redimebant: crassissimæ, ut vocantur *a*), creaturæ, vix primis apud Jesuitas depositis floccis, doctorum virorum functiones occupabant, ut dicitur: *stulti dominabuntur, senes autem & sapientes non levabunt caput.*

Hinc offensi pii auditores multi, conciones Liturgicorum & missas detestantes, sacra *συνάξει* abstinuerunt, & in morbis sacro viatico carere potius, quam ex manibus eorum communicare voluerunt. Audiebatur tunc hæc querela: *nunc est tempus impleti vaticinii, quod sacerdotes dementabunt mundum.*

Oratio pro Papa, Cardinalibus, Prælatis, & omnibus culinæ Romanæ focariis: pro defunctis, & animabus piorum, ab æterno interitu liberandis, in Litania inspergebatur: quin & adeo radices egerat prophanitas, ut etjam *Sicca Missa* in usum deduceretur.

Ex

Ex hac universali fere apostasia, contracti sunt multorum cleri & aliorum magni, cum desperatione pene conjuncti, conscientiæ cruciatus, quorum pauci nominandi sunt. Fechtenius tanta consternatione animi obrutus est, ut continuo satanam in detestabili forma adparentem se videre, confessus sit. Pontus De La Gardie, de his fraudibus eruditus, *Vah*, inquit, *circumveniuntur nostri dolo pontificio*, valido tundens pectus ictu, & his verbis: *DEus mihi ignoscat*, contestans, se ex necessitate hujus causæ curam sustinuisse. ArchiEp. Laur. Gothus, Episcopus Arosi. Erasmus, Pastores Holmenses Salom. Birgeri, Jonas Birgeri, Jonas Arbogensis, Pastor Enecop. Andreas, & alii, quorum quidam in desperatione extincti, quidam non nisi multa fratrum consolatione erecti sunt.

Academia Upsaliensis, Professoribus in carcerem detrusis, Holmiam transferebatur, sub Kloster-Lassii, ejusq; sodalitii inspectione.

In Scholis regni, excepta Stregnensi, prohibebatur Catechismus Lutheri, ejusque orthodoxa interpretatio, in cujus locum Canisii substituebatur

batur. Angermannus dicit, plena vasa librorum papisticorum importata fuisse, quorum quidam, in Sveticum sermonem translati, Holmiæ excudebantur.

Tandem, ne non de omni substantia sua antichristum honorarent, filios suos ejus informationi tradendos emisêre non pauci & magnis nominis viri.

Moniales in cœnobio Vadstenensi ante Liturgiæ tempora perpaucæ fuerunt, quibus tamen postea refertum est. Quas, prædicata Evangelii doctrina, aures suas lana obturasse, cum comperisset Possevinus, admiratus est hanc earum prudentiam, gratias DEo, cantico illo: *Te DEum laudamus*, agens, quod Nonnas Evangelii doctrina seduci non passus fuerit.

a) Angerm. hist. Liturg. X. 4.

§. II.

His tandem furiis infernalibus obicem posuit pius & veritatis cœlestis amantissimus Sudermanniæ, &c. Dux Carolus, rex postea ejus nominis IX, qui, ne sub auspiciis futuri regis Sigismundi, violentia majori religio oppri meretur, concilium, anno post obi-

tum

tum fratris proxime ſequenti, Upſaliæ habendum indixit, in quo clerus regni errores receptos examinavit, examinatos damnavit, & concordi animo ad purum Evangelium ſe obſtrinxit. A quo tempore, numquam ſe ruinæ adeo proximam læta ſemper ſenſit eccleſia noſtra. Quamvis n. pluribus poſtea vicibus intentata relicta non ſit: utpote à Pontificiis, ſceptra capeſſente Sigismundo, quem, ut defuncti parentis ſui conatus perficeret, XXX millia aureorum a Pontif. Rom. accepiſſe, iterum ex Mſto. Prützii benigne mihi communicatum eſt: à Forbeſio, anno regiminis Caroli IX. octavo: à Joh. Duræo A:o 1636, conſilia pacis eccleſiaſticæ inter Evangelicos tractante; his tamen omnibus gl. m. Reges, & Theologi, ſingulari in DEum pietate, celebres, fortiter ſe oppoſuerunt, ut in hunc usque diem, in multum piorum gaudium permanſerit immota. Pro quo igitur tanto DEi beneficio, nos gratos ſiſtamus, & ſine intermiſſione transmittamus oportet

Ad Æthera Laudes.

Clarissimo Philosophiæ

CANDIDATO,

DN. ANDREÆ LINDER,

egregie,

De Liturgia Romano-Svetica,

differenti.

CArmina, si possem, sublimia pangere vellem:
Sed non invenio, digna labore Tuo.
Palladia fraudes stygias heic arte revelas,
Lojolidum technas, Ausoniique Jovis,
Pagina docta docet. Voveo, Clarissime LINDER,
Præmia mox studiis æqua Minerva ferat.

OLAUS STALHÖS.

Clarissimo Philosophiæ

CANDIDATO,

DN. ANDREÆ LINDER,

egregie,

De Liturgia Romano-Svetica,

differenti.

CArmina, si possem, sublimia pangere vellem:
Sed non invenio, digna labore Tuo.
Palladia fraudes stygias heic arte revelas,
Lojolidum technas, Ausoniique Jovis,
Pagina docta docet. Voveo, Clarissime LINDER,
Præmia mox studiis æqua Minerva ferat.

OLAUS STALHÖS.

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Arrhenius, Laurentius

Diss. hist. de liturgia Romano-Suetica Pars prior

Upsalia 1726
Diss. 58#Beibd.7
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10839625-3